



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. penult.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

ex tribus fororibus, & postea unam ex iis cognoscit. Videntur enim & hoc casu affectu conjugali eam cognovisse, ne inducantur illiciti inter eos concubitus. Nec enim concubitus ullus extra matrimonium permissus est, *can. Nemo blandiatur* & *can. Meretricis xxxi. quest. 4.* Quod & communi calculo receptum tradit idem Covarr.

Cæterum non satis perspicio, quomodo hæc sententia defendi possit. Etenim erroneum est, asserere, sponsalia cum tribus illis fororibus antè præcessisse, cum inter duos tantum sponsalia rectè contrahantur, sicut & matrimonium, cuius sponsalia initia sunt, *l. Oratio 16 D. De sponsal.* Cum ergò nulla præcesserint sponsalia, dici quoque non potest, eadem per concubitus transivisse in matrimonium, de quo in præsentis argumento loquimur, juxta decisionem textus nostri.

Nec movet dicta ratio Covarr. quòd videlicet vi promissionis juratæ videatur affectu conjugali unam ex tribus cognovisse, quia hoc incertum est, & nullo jure proditum: neque enim cum qua concubuit, sponsa fuit, propterea quòd sponsalia inter eos antea non intercesserint. Quare magis existimo, ex sententia Glossæ *ad Ex litteris Sylvani 10. hoc tit. nost. quam*, teste eodem Covarr. ibidem sequuntur Joannes Andree, Antonius, Henricus, & Cardinalis, cessare hoc casu præsumptum matrimonium, licet Judex officio suo debeat compellere hunc virum, ut cognitam in uxorem ducat, quod alienum non est, *d. cap. 1. & cap. 2. inf. De adult.*

6 Est autem animadvertendum circa hoc matrimonium præsumptum, ut copula verè interces-

serit: nec enim sufficit attentatio sive nusus copulæ, cum conatus non habuerit effectum, ut loquitur text. in *cap. fin. hoc tit. Similis text. est in l. 1. inf. ne D. Quod quisque juris, &c.*

Atque hæc exaudienda sunt in foro exteriori: 7 secus verò in foro interiore sive conscientie, in quo cessat omnis præsumptio, & statim soli veritati, *cap. Tu nos 26. hoc tit.* Quo fit, ut, si in concubitu sponsi & sponsæ non concurrat simul interior consensus conjugalis, non oriatur inter eos verum matrimonium, sed stuprum sive fornicatio: quia matrimonium absque consensu conjugali contrahi non potest, *d. cap. Tu nos, & ibi latius dixi.* In foro verò exteriori statim præsumptioni textus nostri, aded etiam si protestatio sponsi & sponsæ, vel alterius eorum antecesserit copulam, quòd non velit conjugali affectu, sed fornicario commisceri, nihilo enim minus huic præsumptioni standum erit, quasi per copulam subsequentem ab hac protestatione recesserint, sicut fit in conditione adiectâ sponsalibus; puta, ducam te in uxorem, si pater tuus consenserit, vel, si decem dederis. Nam per subsequentem copulam censetur uterque à conditione recessisse, *c. Super eo 5. cum cap. seq. inf. De condit. appof.* Quod & comprobatur communis opinio apud Covarr. *d. loco num. 26.*

Hic tamen negligendum non est, quòd recentiore iure introduxit Concilium Trident. Sess. 14. c. 1. §. qui aliter *De reformat. matrim.* quo infirmatur sive abrogatur hoc matrimonium præsumptum iis in locis, ubi idem Concilium promulgatum est, sicut latius dicitur *inf. De clandest. desponsat.*

In Cap. penult.

SUMMARIA.

1. Sponsalia de presenti non solvuntur per aliud subsequens matrimonium.
2. Secus sponsalia de futuro,

1^a Sententia huius Capituli plana est, quæ docemur, sponsalia de presenti, subaudi consensu conjugali contracta, non solvi per subsequens aliud matrimonium cum alio aliâve contractum,

etiam si hoc matrimonium copula carnali consummatum sit. Ratio est indissolubile vinculum prioris matrimonii, quod & solo consensu constat, *can. Cum initiatur cum cap. seq. xxvii. quest. 2. can. Quos Deus xxxi. quest. 3.* † Aliud verò est in sponsalibus propriè dictis, quæ de futuro appellantur, quæ per subsequens matrimonium dissolvuntur, etiam si iurata sint, *c. Sicut ex litteris 12. & ibi latius dixi, sup. hoc nostro tit.*